



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 13. Diversæ Sacrarum Congregationum decisiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII. sale ad implorandam Divinam opem
A.C. 1695. pro pace inter Principes Christianos
 obtinenda.

§. XIII.

*Diversæ Sacrarum Congregationum
 decisiones.*

*Decret. S.
 Congr. Rit.
 Rot. Esc.*

Occurrunt etiam variæ Sacrarum
 Congregationum decisiones hoc
 anno emanatæ, die enim vigesima Ju-
 nii a Sacra Rota decisum, quod hæres
 non possit mittere alios Sacerdotes ad
 celebrandum in aliena Ecclesia, illis-
 que dare Eleemosynam manualementem,
 quando hujus Eleemosynæ capaces
 sunt ipsi Fratres Minores de observan-
 tia, & veniunt præferendi omnibus ex-
 traneis, tum ratione præcepti Testato-
 ris, tum ratione loci, in quo existunt.

Vicarius quoque perpetuus non pos-
 sit interesse, nec præscribere in Choro
 Communitatis Beneficiatorum Eccle-
 siæ, nec cantare Divina Officia tam
 intra, quam extra Ecclesiam in Eccle-
 siis annexis, nec teneatur Communi-
 tas prædicta ei concedere partem Mis-
 sarum celebrandarum, sive ex fundatis,
 sive ex adventitiis.

Die autem tertia Septembris ex
 mandato summi Pontificis Sacra Ri-
 tuum Congregatio declaravit, a sum-
 mo

mo Pontifice concedi, ut in posterum Sæc. XVII.
 nedum in Civitate, verum etiam in A. C. 1695.
 omnibus Serenissimæ Reipublicæ Ve-
 netiarum Dominiis, tam a Clero Sæ-
 culari, quam Regulari utriusque sexus,
 singulis Annis die decima octava De-
 cembris recitari possit Officium pro-
 prium, & celebrari Missa Expectatio-
 nis Beatissimæ Mariæ Virginis, ad for-
 mam Constitutionis Gregorii XIII. &
 servatis in reliquis rubricis Breviarii,
 & Missalis Romani.

Sacra vero Concilii Congregatio
 decidit die duodecima Novembris,
 quod Parochus, quo minus benedictio-
 nes Animalium in die festo S. Antonii
 dentur, & Oblationes recipiantur ab
 aliis Capellanis, & Rectoribus alia-
 rum Ecclesiarum intra fines Parochiæ
 existentium, nec prohibere, nec im-
 pedire valeat, quia inter functiones
 Parochiales ista Benedictio non con-
 numeratur.

Ad propositum vero dubium die se-
 cunda Decembris Sacra Episcoporum
 Congregatio respondit, quod non pos-
 sit Episcopus prohibere Musicis, ne
 canant, aut officialibus Ecclesiarum,
 ne Musicos adhibeant, nisi vocato Ma-
 gistro Capellæ Cathedralis, aut alte-
 rius Ecclesiæ; die autem decima septi-
 ma Decembris a Sacra Immunitatis
 Con-

Sæc. XVII. Congregatione decisum, quod absolute
 A. C. 1695. tio a Censuris ob violatam immunitatem sit personaliter & humiliter petenda: denique eadem die Sacra Rituum Congregatio decrevit, quod Sacerdos celebrans Missam conventualem, in qua chorus tenetur cantare Symbolum, non possit illam prosequi eo tempore, quo a Choro cantatur hoc Symbolum.

§. XIV.

Pater Joannes de Brito Jesuita Maduræ occisus.

*Berti Brev.
 Eccl. Hist.
 pag. 285.
 Binn. app.
 t. 12. p. 109.
 & 115.*

Ad hunc annum Joannes Laurentius Berti refert Martyrium Patris Joannis de Brito Jesuitæ, Lusitani ac Missionarii, quem etiam Jesuitæ anno hujus sæculi nonagesimo tertio Maduræ ab Ethnicis in odium fidei fuisse trucidatum, ejusque intercessionem Christianis salutarem esse referunt: *expectatur autem, inquit præfatus Author, Apostolicæ Sedis judicium, quia martyres non facit pœna, sed causa, non sunt in eorum numero computandi decies mille captivi Turcarum, qui seditionem moventes Anno 1662. in urbe Mauritanicæ Algerio crudelissime necati fuere.*

§. XV